

Johannis Amos Comenii  
*Orbis sensualium pictus*

**Praefatio**

*Gen. 2.19–20: Adduxit Dominus Deus ad Adam cunctas animantes terrae et universa volatilia caeli, ut videret quomodo vocaret illa. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia et universa volatilia caeli et omnes bestias agri.*

**R**UDITATIS ANTIDOTUM ERUDITIO EST, QUA IN SCHOLIS INGENIA IMBUI DEBENT, SED ITA UT eruditio vera, ut plena, ut lucida, ut solida sit. Vera erit si non nisi utilia vitae docentur et discuntur, ne postmodum queritandi occasio sit: necessaria ignoramus, quia necessaria non didicimus. Plena, si expoliatur mens ad sapientiam, lingua ad eloquentiam, manus ad actiones vitae sollerter obeundas: hoc erit sal illud vitae – sapere, agere, loqui. Lucida erit, ac per id firma et solida, si quicquid docetur et discitur non obscurum sit aut confusum, sed clarum, distinctum, articulatum, tamquam digiti manuum. Hujus rei fundamentum est ut sensalia recte praesententur sensibus, ne capi non possint.

Dico et alta voce repeto postremum hoc reliquorum omnium esse fundamentum, quia nec agere nec loqui sapienter possumus nisi prius omnia quae agenda sunt et de quibus loquendum est recte intelligamus; in intellectu autem nihil est nisi prius fuerit in sensu. Sensus ergo circa rerum differentias recte percipiendas gnaviter exercere erit toti sapientiae totique sapienti eloquentiae omnibusque prudentibus vitae actionibus fundamenta ponere. Quod quia vulgo in scholis negligitur, discipulisque discenda objiciuntur nec intellecta nec sensibus recte praesentata, fit ut docendi et discendi labor moleste procedat exiguumque ferat fructum.

En igitur novum scholis subsidium: omnium fundamentalium in mundo rerum et in vita actionum pictura et nomenclatura! Quam ut vestris cum discipulis pertransire libenter ne gravemini, boni magistri, quid inde boni veniat expectandum paucis explicabo.

Libellus est, ut videtis, haud magnae molis, mundi tamen totius et totius linguae brevium, plenus picturis, nomenclaturis rerumque descriptionibus.

I. Pictura sunt rerum omnium visibilium (ad quas et invisibiles suo modo reducuntur) totius mundi icones, idque ipso rerum ordine quo in janua linguarum descriptae sunt, atque plenitudine ea ut nihil adeo necessarium et cardinale omittatur.

II. Nomenclatura sunt suae cuique picturae superpositae inscriptiones seu tituli rem totam generali suo exprimentes vocabulo.

III. Descriptiones sunt partium picturae explicationes propriis suis appellationibus ita expressae ut cuivis picturae membro et appellationi ejus eadem addita cifra, quae ad se invicem spectent, perpetuo ostendat.

Qui talis libellus tali hoc apparatu serviat, spero, primum ad alliciendum huc ingenia, ne sibi crucem in schola imaginentur, sed delicias. Notum enim est pueros ab ipsa prope modum infantia picturis delectari oculosque his spectaculis libenter pascere. Obtinuisse autem ut sapientiae hortulis terriculamenta tollantur magnum operae pretium erit.

Secundo serviet libellus idem excitandae, rebus affigendae et semper magis magisque exacuendae attentioni – quod et ipsum magnum est. Sensus enim (aetatulae primae duces potissimi, quippe ubi mens ad abstractam rerum contemplationem nondum se elevat) objecta sua semper quaerunt, absentibus illis hebescunt taedioque sui huc illuc se vertunt, praesentibus autem objectis suis hilarescunt, vivescunt et se illis affigi donec res satis perspecta sit libenter patiuntur. Libellus ergo hic ingeniis (vagus praesertim) captivandis et ad altiora studia praeparandis bonam navabit operam.

Unde tertium sequetur bonum: ut huc allekti et hac cum attentione traducti pueri rerum in mundo primariarum notitia per lusum et jocum instruantur. Verbo, vestibulo et janua linguarum amoenius tractandis libellus hic serviet, quo etiam primario destinatur.

Si tamen vernaculis etiam linguis eum placeat concinnari, alia tria de se promittit bona.

I. Litterarum lectioni facilius quam hactenus addiscendae stratagema suppeditabit, praesertim eidem praemisso alphabeto symbolico, litterarum nempe singularum characteribus cum appicta animalis istius cujus vocem littera illa imitatum sit imagine. Ex ipsa quippe animalis inspectione vim characteris cujusque recordabitur facile alphabetarius tiro, donec usu firmata imaginatio prompte omnia suppeditet. Lustrato deinde primariarum etiam syllabarum abaco, quem tamen huic libello adjici non opus videbatur, venire poterit ad lustramen picturarum et superimpositarum inscriptionum. Ubi rursum ipsa rei depictae inspectio, rei nomen suggerens, quomodo picturae titulus legendus sit monebit. Transitoque sic libro toto per solos picturarum titulos lectio non addisci non poterit, et quidem, quod notandum, nulla adhibita vulgari proluxa syllabizatione, permolesta illa ingeniorum tortura, quae hac methodo declinari poterit tota. Iterata enim libelli lectio per ipsas pleniores et picturis subjectas rerum descriptiones habitum legendi penitus absolvere poterit.

II. Serviet idem libellus vernaculis in scholis vernacule tractatus ediscendae linguae vernaculae toti et a fundamento, quoniam per praedictas rerum descriptiones linguae totius voces et phrases suis apte locis digestae reperiuntur. Et addi posset ad calcem brevis grammatica vernacula sermonem jam intellectum in suas partes perspicue resolvens, vocum singularum flexiones ostendens, conjunctas autem sub regulas certas reducens.

III. Inde novum emergit commodum: ut ea ipsa versio vernacula linguae latinae promptius suaviusque addiscendae serviat – ut in hac editione videre est, libello toto ita translato ut verbum verbo e regione respondeat ubique sitque idem per omnia liber bino dumtaxat idiomate, ut homo veste indutus duplici. Possentque in fine adjici quaedam etiam observationes et monita de iis solis in quibus latinae linguae consuetudo a vernacula recedit. Nam ubi nihil receditur, nihil moneri opus est.

Ceterum quia prima discentium pensa pauca et simplicia esse oportet, primum hunc tirocinii autoptici libellum non nisi rudimentis implevimus, rerum scilicet et verborum cardinibus ceu totius mundi et totius linguae totiusque nostri circa res intellectus basibus. Perfectior rerum descriptio et plenior linguae cognitio mentisque lumen splendidius si

quaeruntur, ut debent, reperiuntur alibi; quo jam per hanc nostram sensualium encyclopaediolam non difficilis erit transitus.

De amoeniore libelli hujus usu monendum aliquid restat.

I. Detur pueris in manus ad oblectandum se pro lubitu figurarum spectaculo easque sibi reddendum quam familiarissimas, etiam domi, antequam ad scholam mittantur.

II. Tum examinandi subinde, praesertim in schola jam, quid hoc, quid illud, sit et dicatur ut nihil videant quod nesciant nominare, et nihil nominent quod nesciant ostendere.

III. Ostendantur vero illis res nominatae non tantum in pictura sed et in se ipsis – exempli gratia, membra corporis, vestes, libri, domus et utensilia etc.


IV. Permittatur etiam illis picturas manu imitari si volunt; immo ut velint incitandi sunt, primo ad acuendam sic quoque attentionem in res, tum ad observandam partium ad se invicem proportionem, denique ad exercendam manus agilitatem, quae res ad multa utilis est.

V. Si quae res quarum hic mentio fit oculis praesentari non potest, valde fuerit e re discipulis ea per se offeri, nempe colores, sapes, quae hic atramento depingi non poterant. Quo nomine optandum esset in qualibet illustri schola res raras et domi non obvias asservari paratas, ut quoties discipulis verba de iis facienda sunt, simul exhiberi queant.

Ita demum schola haec vere esset schola sensualium, scholae intellectualis praeludium. Satis autem, veniamus in rem ipsam.

*Sirach 25.5: Quae in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies?*

## Invitatio



*MAGISTER: Veni, puer! disce sapere.*

*PUER: Quid hoc est sapere?*

*MAGISTER: Omnia quae necessaria recte intellegere, recte agere, recte eloqui.*

*PUER: Quis me hoc docebit?*

*MAGISTER: Ego, cum Deo.*

*PUER: Quomodo?*

*MAGISTER: Ducam te per omnia, ostendam tibi omnia, nominabo tibi omnia.*

*PUER: En adsum! Duc me in nomine Dei.*

*MAGISTER: Ante omnia debes discere simplices sonos ex quibus constat sermo humanus; quos animalia sciunt formare, et tua lingua scit imitari, et tua manus potest pingere. Postea ibimus in mundum et spectabimus omnia. Alphabetum vivum et vocale habes hic.*

## Alphabetum vivum et vocale



**A a**  
cornix cornicatur  
A A

**B b**  
agnus balat  
BEEE

**C c**  
cicada stridet  
CI CI



**D d**  
upupa dicit  
DU DU

**E e**  
infans ejulat  
E E E

**F f**  
ventus flat  
FI FI



**G g**  
anser gingrit  
GA GA

**H h**  
os halat  
HAH HAH

**I i**  
mus mintrit  
I I I



**K k**  
anas tetrinit  
KHA KHA

**L l**  
lupus ululat  
LU ULU

**M m**  
ursus murmurat  
MUM MUM



**N n**  
felis clamat  
NAU NAU

**O o**  
auriga clamat  
O O O

**P p**  
pullus pipiat  
PI PI



**Q q**  
cuculus cuculat  
KUK KU

**R r**  
canis ringitur  
ERR

**S s**  
serpens sibilat  
SI



**T t**  
graculus clamat  
TAE TAE

**U u**  
bubo ululat  
U U

**V v**  
lepus vagit  
VA



**X x**  
rana coaxat  
COAX

**Y y**  
asinus rudit  
Y Y Y

**Z z**  
tabanus dicit  
DS DS